

293

291

297

287

302

282

342

242

392

192

Ende

Anfang

278

pontem ligneum erat transitus de civitate in montem. Hanc voraginem conabantur reges Iuda implere, ut esset civitas una Syon et Ierusalem, et multos labores habuerunt in inductione terrae. Erat enim mons Syon per circuitum abruptis rupibus elevatus, et a parte civitatis infundebant desuper terram, et etiam contra orientem, ut ad parietes rupium elevaretur terra, et fierent horti per circuitum Syon sicut sunt hodie. Et ideo locum illum intermedium, quem terra implere, et civitati coaequare conabantur, nominabant Mello, id est, Adimpletio, de quo habetur 2. Regum 5. et 3. Reg. 9. et cap. 11. et 2. Paralip. 32. Opus tamem hoc ad plenum nunquam fuit perfectum, quia semper aliquae profunditates inter utramque civitatem manserunt, et hodie sunt, ut patet intuenti cum diligentia, in horto fratrum et juxta arcem David. Initium hujus montis est a porta aquarum, sive fontis Syloë contra orientem, et facit semicirculum contra austrum usque in occidentem, ubi erat turris David, et hodie castrum est ibi: et rupis praerupta per totum semicirculum, et arcus istius simicirculi similiter, qui fuit Mello. Superius vero erat mons Syon, et hodie est latus adeo, ut civitas Bybrach in eo posset stare. In hoc monte antiquissimis temporibus fuit aedificata arx, quam magnis laboribus cepit David, et civitatem montis Syon suo nomini dedicavit, ut habetur 1. Paralip. 11. Mons iste olim erat quasi inexpugnabilis. Quantos labores et angustias illi fortissimi Machabaei habuerunt, antequam gentes de arce Syon ejicerent, nemo ignorat, qui libros Machabaeorum vidit. Propter fortitudinem Syon dicitur Ierusalem filia Syon in Scriptura; quia sicut filia defenditur a matre, et matri subditur, sic Ierusalem a Syon defendebatur, et subjiciebatur, ut ibi: dicite filiae Syon, ecce rex etc. id est, dicite civitati Ierusalem. Interpretatio hujus montis Syon, ubicunque in tota Scriptura reperitur, accipitur in bonum, et nunquam in malum. Quandoque enim significat, et ut in plurimum, ultimum beatitudinis actum, divinae essentiae contemplationem; quandoque exercitum angelorum; quandoque ecclesiam triumphantem; quandoque militantem; quandoque solos electos Dei de ecclesia; quandoque contemplativos; quandoque quosque religiosos; quandoque praelatos; quandoque praedicatores. Hic mons est, de quo

